



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Secunda & tertia difficultas, de anima rationali separata à corpore, &
de forma corruptibili à materia separata, breviter resolvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Banez verò in loco citato in favorem suæ sententiæ sic arguit primò: De facto existentiã divi-
na ob suam infinitatem est communicata hu-
manitati Christi, sine receptione in illa, terminan-
do dependentiam quam humanitas à propria exi-
stentiã habet; Ergo poterit etiam uniri materiæ
primæ, illamque existentem reddere.

Secundò personalitas Verbi complet dependentiam
quam humanitas habet à personalitate finita; nisi à Deo assumeretur: Ergo potest
complet dependentiam quam materia habet à
forma substantiali quantum ad existendum, sub-
indèque illam reddere existentem sine forma.

Tertiò, Divina essentia, quia est infinita in li-
nea intelligibili, supplet respectu intellectus vi-
cem formæ intelligibilis in ordine ad intellectu-
nem: Ergo cum etiam sit infinita in linea existen-
tiæ, potest respectu materiæ vicem formæ sup-
plere in ordine ad existendum.

Hæc tamen parum urgent, & facillè dilui pos-
sunt: Ad primum enim, concesso Antecedente,
distinguo Consequens: Ergo poterit uniri mate-
riæ primæ, sine forma, nego Consequentiam:
uniri formæ substantiali, concedo Consequen-
tiam. Quod autem sine forma non possit mate-
ria prima existere per existentiam divinam, non
provenit ex limitatione existentie, vel subsisten-
tiæ divinæ, sed quia materia sine forma est inca-
pax existendi, ut docet D. Thomas locis supra
citatis.

Ad secundum, concesso Antecedente, nego
Consequentiam, nam etsi ex illo antecedente se-
quitur posse Deum supplere dependentiam mate-
riæ à subsistentia creata, quia in hoc nulla im-
perfectio physicæ informationis involvitur; ex il-
lo tamen inferri nequit, Deum posse supplere de-
pendentiam quam materia habet à forma in or-
dine ad existendum, quia talis dependentia sine
physicæ informatione suppleri nequit.

Ad tertium, nego etiam Consequentiam, &
pariteram; nam licet essentia divina possit absque
informatione genere minus speciei, respectu in-
tellectus beati, in ordine ad visionem beatificam,
ut in Tractatu de Visione beata fusè declaravi-
mus: non potest tamen absque imperfectione in-
formationis, respectu materiæ, vicem formæ sup-
plere in ordine ad existendum.

§. II.

*Secunda & tertia difficultas, de anima rationali se-
parata à corpore, & de forma corruptibili à
materia separata, breviter resolvuntur.*

Dico secundò: animam rationalem à corpo-
re separatam; esse unibilem Deo & ab ipso
assumptibilem.

Probari breviter: Animæ rationali hoc spe-
ciale & proprium est, quòd cum producat à
solo Deo per creationem, habet subsistentiam &
existentiam sibi propriam, per quam subsistit &
existit ut quod, saltem quando est separata à cor-
pore: Ergo poterit persona divina assumere ani-
mam rationalem separatam à corpore, destruendo
propriam subsistentiam & existentiam con-
naturalis, & loco illius substituendo subsisten-
tiam & existentiam divinam & incretam. Vel
etiam potest Deus creare animam rationalem, &
impedire ne ab illa resultet propria existentia &
subsistentia, ut loco illius subrogetur personali-
tas & existentia divina.

Confirmatur: De fide est animam Christi man-

sisse in triduo Verbo Divino unitam, & subsisten-
tem per subsistentiam divinam: Ergo animam
rationalis à corpore separata, est unibilis Deo, &
ab ipso assumptibilis.

Dices, Unio substantialis cum Deo, aut est in
unitatem personæ; aut in unitatem suppositi?
Sed nullo ex his modis potest anima rationalis
Deo uniri: Ergo non est ab illo assumptibilis.
Major videtur certa, quia alius modus unionis
cum Deo in ratione subsistentis, non est huc us-
que assignatus. Minor verò probatur. Persona est
rationalis natura: individua substantia, & suppo-
situm individua substantia naturæ substantialis:
Sed anima rationalis natura non est: Ergo Ver-
bum, ut in illa subsistens, nec suppositum, nec
persona esse potest.

Respondeo primò, unionem animæ rationalis
cum Deo esse in unitatem personæ, non adæqua-
tè & completè, sed in adæquatè & incompletè, eò
quòd anima rationalis non sit adæquatè, sed in ad-
æquatè natura.

Vel secundò responderi potest, esse unionem
cum Deo in unitatem subsistentiæ, quæ unitas
suppositi vel personæ non sit, ex defectu comple-
tionis: Sicut etiam datur, in probabiliori senten-
tiã, subsistens absolutum in Deo, quòd suppo-
situm non est, nec persona, quia communicabile.

Dico tertiò: Satis probabile est, formas cor-
poreas & materiales posse supernaturaliter con-
servari, & existere separatas à materia, subindè-
que assumi à Deo. Ita Medina, Alvarez, Cipul-
lus, & alii ex nostris Thomistis, contra Cabre-
ram & Nazarium.

Probat: Hujusmodi formæ non magis viden-
tur dependere in esse & conservari à materia in
qua recipiuntur, quàm accidentia à subjecto à
quo sustentantur: Ergo sicut accidentia possunt
divinitus separari à subjecto, & recipere aliquem
modum per se existendi, ut patet in quantitate pa-
nis in Sacramento Eucharistiæ: Ita etiam formæ
materiales & corporeæ, licet dependeam, con-
naturaliter à materia in esse & conservari, poterunt
tamen supernaturaliter ab illa separari, & recipere
modum aliquem subsistendi, similem illi quem
habebant quandiu erant unite materiæ; subindè-
que hujusmodi formæ corporeæ, separata divi-
nitas à materia, poterunt Deo hypostaticè uniri,
quæ subsistentia divina poterit supplere talem
modum subsistendi, quem possunt à Deo recipere,
cum illum eminenter contineat.

Dices primò: D. Thomas 1. part. quæst. 70.
art. 2. 3. & 6, hoc discrimen inter animam ratio-
nalem & formas corporeas statuit, quòd illa est
per se subsistens, secus autem aliæ formæ: Sed si
formæ corporeæ à materia separata possent sub-
sistere ut quod, non statet hæc differentia: Ergo
formæ substantiales corporeæ separata à materia
non sunt capaces subsistendi ut quod, nec per
consequens possunt assumi à Deo, & per ejus
subsistentiam subsistere. Major patet, sequela ve-
rò Minoris probatur. Anima rationalis conjun-
cta corpori, solum subsistit ut quod, separata au-
tem subsistit ut quod. Sed forma corporea in sta-
tu conjunctionis subsistit ut quod, est enim cor-
pori ratio existendi & subsistendi: Ergo si sepa-
rata potest subsistere ut quod, nullum erit inter
illam & animam rationalem discrimen.

Respondeo concessa Majori, negando seque-
lam Minoris: Tum quia (ut plures D. Thomæ
Discipuli probabiliter docent) anima rationalis
corporei conjuncta, nõ solum subsistit ut quod, sed
etiam

etiam ut quod immediatè, quod formæ corporeæ non convenit. Tum etiam quia (esto anima rationalis conjuncta corpori, tantùm subsistat ut quo) est tamen, etiam ut materiæ conjuncta, independens ab illa quoad esse; forma autem corporea, conjuncta materiæ, ab illa quoad esse dependet. Præterea, quod anima rationalis subsistat ut quod à corpore separata, ei convenit adæquatè ab intrinseco, secus autem formæ corporeæ: Cùm enim subsistentia ipsi conveniat solum ex suppositione conservationis in statu separationis, & talis conservatio non ab intrinseco, sed ab extrinseco solum, & præter illius exigentiam ei conveniat, etiam subsistere ut quod in statu separationis, non ab intrinseco, sed solum ab extrinseco, & præter illius exigentiam, ipsi competit; & ita semper subsistit discrimen à D. Thoma assignatum inter formam corpoream, & animam rationalem.

52. Dices secundò: Esto forma substantialis corporea, possit divinitus à materia separari, & sic separata subsistere, tamen in tali statu non potest subsistere per subsistentiam totalem, sed duntaxat partialem: At divina personalitas non potest supplere vices subsistentiæ partialis: Ergo nequit reddere subsistentem formam substantialem corpoream à materia separaram. Minor patet, Deus enim non potest supplere vices partis, cùm de ratione partis sit esse quid incompletum & imperfectum. Major etiam videtur manifesta, nam subsistentia consequens ad entitatem partialem, qualis est forma separata à materia, non potest esse totalis, sed duntaxat partialis.

53. Respondeo primò, negando Majorem: Sicut enim subsistentia quæ anima rationalis à corpore separata subsistit, quamvis sit subsistentia entitatis partialis, non est subsistentia partialis, quia ad hoc requireretur, quod posset cum alia subsistentia componere subsistentiam totalem: Ita subsistentia quæ subsisteret forma corporea à materia separata, quamvis esset subsistentia entitatis partialis, non esset tamen subsistentia partialis, quia non posset cum alia subsistentia componere subsistentiam totalem.

54. Secundò responderi potest, datà Majori, distinguendo Minorem: Divina personalitas non potest vices gerere subsistentiæ partialis, quantum ad rationem partis, concedo Minorem. Quoad rationem subsistentiæ, sine imperfectione partis, nego Minorem, & Consequentiam. Sicut enim Deus uniri potest animæ rationali à corpore separatæ, & de facto Verbum Divinum illi in triduo hypostaticè fuit unitum, & anima Christi fuit subsistens subsistentiæ Verbi, etsi (ut plures extra Scholam Divi Thomæ existimant) anima ratione sui subsistat subsistentiæ partiali. Ita quamvis subsistentia formæ corruptibilis, separata à materia, partialis sit, poterit hac subsistentiæ privari, & loco illius subsistentiæ Verbi subsistere; non ita ut subsistentia Verbi induat rationem subsistentiæ partialis, sed ita ut totum munus subsistentiæ obeat, sine imperfectione partialitatis.

§. III.

Ultima difficultas resolvitur.

Dico ultimò: Partes integrales, puta manus, caput, brachium, quandiu sunt inter se, & toti compositò unitæ, non possunt assumi, nisi assumatur compositum; si tamen separantur à to-

to, possunt assumi, etiam illo non assumpto. Prima pars probatur: Hujusmodi partes subsistunt & existunt per subsistentiam & existentiam totius; quia ut demonstrant nostri Thomistæ in Philosophia, non dantur subsistentiæ & existentiæ partiales: Unde ut subsistentia & existentia divina suppleant vices subsistentiæ propriæ & connaturalis illarum partium, debent etiam supplere vices subsistentiæ & existentiæ totius compositi, subindèque illud assumere.

Confirmatur: Repugnat naturam aliquam propriam subsistentiæ terminatam, subsistere per divinam: At si pars integralis actu aliis partibus unita posset assumi ad divinam subsistentiam, toto composito non assumpto, posset simul subsistere propria subsistentiæ & divinæ: Ergo sic unita in assumptibilis est, non assumpto toto, & non assumptis aliis partibus ipsi conjunctis. Major supponitur ex probabiliori sententia, quam articulo stabiliemus, Minor autem probatur. Pars existens in toto, non potest non subsistere subsistentiæ totius, ut dicitur ex dictis: Ergo si materia in toto (qualiter manet dum est aliis partibus unita) posset assumi ad divinam subsistentiam, simul subsisteret subsistentiæ propriæ, nempe subsistentiæ totius, & subsistentiæ divinæ. Ex quo

Inferes, formam substantialem, unitam materiæ, non posse assumi, nisi assumatur materia, & totum compositum: Quia forma ut unita materiæ, non subsistit, nec existit, nisi per subsistentiam & existentiam totius, quæ primario communicatur formæ, & mediante formâ ipsi materiæ.

Secunda verò pars, quæ asserit partes integrantes, ut à suo subjecto dividas, posse uniri cum subsistentia divina, & per illam existere, etiam non assumpto toto composito, manifesta est: nam istæ partes separatæ subsistunt subsistentiæ propriæ, realiter à subsistentia totius distincta quæ per divisionem & separationem acquirunt subsistentiam & existentiam propriam, distinctam ab ea quam habebant, cùm erant unita toti composito: Sed quod gaudet subsistentiâ propriâ, potest immediatè à Deo assumi, & subsistere per subsistentiam divinam, in qua eminenter talis subsistentia continetur: Ergo partes integrantes separatæ à toto, possunt assumi, etiam illo non assumpto. Idem dicendum est de partibus homogeneis, ab invicem separatis: v. g. duæ medietates quæ, ab invicem separatæ, possunt uniri cum Deo & illius subsistentiæ subsistere; quia ab invicem separatæ induunt rationem totius ejusdem rationis cum illo quod componebant, & subsistunt subsistentiæ propriæ, eminentèr quæ in divina subsistentia contenta.

Contra primam partem hujus conclusionis Suarez, Granadus, & alii Recentiores obijciunt: Id quod subsistit per subsistentiam propriam creatam, potest subsistere per divinam subsistentiam: Sed partes sive essentielles sive integrales actu componentes totum, subsistunt per proprias & partiales subsistentias: Ergo potest una seorsim ab alia subsistere subsistentiæ divinæ, subindèque una pars actu aliis partibus unita, assumi ad divinam subsistentiam, aliis partibus non assumptis. Major patet ex dictis, Minor verò sic ostenditur. Subsistentia consequitur entitatem, & illi proportionatur: Sed entitas cujuscumque totius est composita ex partialibus entitatibus: Ergo illius subsistentia debet esse composita ex partialibus subsistentiis, & consequenter partes actu to-